

constitutione de ista materia, haec verba « Gentes », « Populi » de neophitis intelligantur, ut credibile est. Si autem, quod non videtur, intelligantur de ipsis etiam gentilibus, fateor hoc et Missionariorum omnium vires et meas superare, nec a nobis nec decem nec viginti annorum spatio praestandum tale prodigium. Eodem iure nobis iniungeretur, ut omnes isti ethnici decem annorum spatio a nobis ad fidem convertantur.

5° Iamvero venio ad accusationes contra nos intentatas. 1^a est superbiae, qua tumentes veriti sumus, ignobilium casas subire. Tantamne in Italis Jesuitis experiuntur Romae, ut idem de Gallis istis crederent nobisque publice exprobraretur? de istis superbis haec pauca accipiat Paternitas vestra. a) Qui heri cum Brachmanibus aliisque regionis nobilioribus versabatur familiariter, cras ad oram maritimam accedens adit Pareos, subit illorum domos, hortatur, administrat sacramento etc. b) Novis auditis mandatis, ut scilicet specialiter deputarentur aliqui Pareis procurandis, non solum omnes qui aderant verbo, et qui aberant scripto se ad id munus obtulere, sed orta etiam contentio, illo aetatem, isto vires, alio aliam afferente rationem ut caeteris in hoc munere praeferretur. c) Longe maior pars Christianorum in missione Tamulica est ex gente Pareorum licet a dominis eorum Gentilibus ex aliis causis magnae difficultates sese opponant illorum ad fidem conversioni. d) Quam multae aliae fiunt impensae tum pro Pareorum pauperrimorum sustentatione, tum pro educandis alendisque plurimis catechistis illorum tum conversioni, tum conversorum instructioni destinatis? in hoc Pondicherii brevi territorio septem a nobis aluntur. e) Quoties evenit ut ad duos vel tres dies itineris pergerent Missionarii ut aegrotis sacramenta ministrarent. Haec sunt nostrae superbiae signa, hic est noster gentis Pareorum contemptus. Quod autem Christianos minus bene affici videantur erga Pareos, hoc unum dicam: utinam in Europa servi a Dominis, plebei a proceribus, ruricolae a nobilibus tam bene tractarentur quam illi ab illis! Hic ut in Europa variis inter se gradibus distinguuntur homines.

6° Tria alia sunt, quae ut vera non afferuntur a Summo Pontifice, sed quae sibi ab aliis Missionariis scripta sunt, ut fert nova constitutio p. 41. Factum bene, quod iam non possimus accusari nisi evidentibus calumniis. Prodeant si audent e tenebris, qui affirmarunt, Mulieres quodam morbo laborantes et a templo et a sacramentis a nobis arceri: dicant a quo, cui mulieri, quo in loco istud evenerit. Non facient certe sordidi simul et impudentissimi calumniatores illi: nos vero quotquot sumus, parati sumus contrarium iuramento affirmare. Idem dicendum de fructu Coco, quem ad vana auguria sumenda frangere dicuntur Christiani nostri matrimonii tempore. Ubi etiam sic factum fuerit ab istis Christianis, dicant illi et probent. Ego vero paratus sum etiam iuramento affirmare me quindecim annorum spatio non modo id permissum aut toleratum a Missionariis, sed etiam a Christianis ipsis patratum ne semel quidem, investigatione facta, audivisse aut deprehendisse. Et hoc igitur putidum est commentum. Quod autem etiam delatum est, nos permittere Christianis mulieribus gestationem Taly a Cardinale Turnonio prohibiti: haec calumnia olim coram loci Ordinario intentata et ab eodem publice lata sententia diluta est anno 1712. Qua